

P V I S



1 6 0 3

PARENTATIO
 ILLVSTRIS-
 SIMO AC PIENTIS-
 SIMO PRINCIPI AC DO-
 mino, Duci Augusto, Electori
 Saxoniae &c.

Tertium facta

CONSTITVTIONE
 ATQVE MANDATO IL-
 lustrissimi ac pientissimi Principis ac Domini
 Ducis CHRISTIANI Electoris,
 Filij,

Operam suam navante subiectissimam.

IOHANNE MAIORE D:

VVITEBERGÆ,
 Typis Zachariae Cratonis.

Ar.

Handwritten text, likely a title page or preface, enclosed in a decorative border. The text is written in a historical script, possibly Latin or German, and is significantly faded and mirrored, suggesting bleed-through from the reverse side of the page. The visible words include "PARELLA", "LIVERTIS", "SINO", "DITTO", and "JOHANNES".



P A R E N T A T I O



ITA ferisset similis, nisi cœtibus actis
Gens hominum faceret publica vota
D E O.

Æmula fit superis autem, si more frequenti
Agmina doctrinæ fœdere iuncta sedent:
Quorum iudicium, seu fila sequantur oportet,
Si res implicita est, & via plena dolis.
Consona de rebus sententia, cœlica vox est;
Conspiransq; precum gratia, pondus habet.
HANC Deus ob causâ sibi sacrum colligit agmen,
Ne tota hæc hominum copia morte cadat:
Nec confecta Dei ad specimen, sit imago Draconis,
Qui macula aspergit multicolore Deum.
Sed vult esse super qui testis & indicis instar
Grata sibi nunc & tunc monumenta ferant:
Recta quibus curæ est sententia: recta loquela;
Quos veri & pacis tangat honestus amor:
Et quibus ipse sui largum det numinis usum,
Ut conforme Deo sint ratione genus.
Vultque suam vocem ferri in congressibus actis,
Et Natum notum gentibus esse suum.
Intulit hos mundo primum, & compagine servat,
Et vult hos opera quenque iuvare sua.
SED quæ digna patres in cœtum causa vocavit,
Pubis & examen more coëgit apum;

NOx erat, & visa in somnis astare iacenti est
FAMA; habitum quæris? candida penna tegit
De specie obiecta quærenti, talia reddit;
LVX iterū AVGVSTI conscia mortis adest.
Gratia me peperit, virtutem ut laude rependam,
Iusticia, officij causa fit, atque via.
Qui sibi te vatem, & tibi me dedit esse ministram,
Exigit officij debita pensa tui:
Sindone non atra, & lachrymis modò: quādo referri
Sindone, vel lacrymis de scròbe nemo potest:
Sed magis ornatu verborum efferre sepultum;
Vult Deus acceptum nos celebrare bonum.
Dixit; & ambrosio sparsit mea carmina succo,
N' e tinea in folijs sidat acerba meis.
Corripuitque viam, quā venerat, ætheris alti,
Et penna plausum fecit, & ore sonum.
IVSSA dex sequor, & lugubris in ordine pompæ
Manibus AVGVSTI solvere iusta paro.
Deque pio laudes, quantum fert tempus, habebo,
Omnis quem perhibet fama, fuisse pium.
Clade sed ostensa per mortem ipsius oborta:
Et quid fomenti postulet iste dolor:
Mox simili in cursu Natum exhortabor euntem,
Ut quali cepit nunc pede, semper eat:
Inflexisque animis, dictaque salute beato:
Coetus hic exacto more solutus erit.

CVRA

CVRA Dei cultus cui prima ac summa fuisset,
Hic Deus effectus debet honore coli.
Virtutis cultor tractandus honore Deorum est,
Quò magè virtutis quisque sequatur iter.
O PATRIS orator summi, rege verba per auras,
Ne sine mente volent, nec sine fruge cadant.
Fulgeat in cœtu tua præsens gratia nostro,
Qui vis in sacro semper adesse grege.
Pauca, sed æqua tuo faciam super ordine verba,
Cui das in terris nomen habere Dei.
DVCIT honestatis species, non gratia fructus,
Facta quòd Herois commemoranda putem.
Non ignorat enim patriæ successor habenæ
Quis sit, quoque alijs præstat honore pater:
Ut, qui non dotes magis admirentur a vitas:
Hos magis invidiæ felle tumere nigro.
Quàm teretes Musas, quæ patrem laude sequantur
Blanditiæ argutæ crimen habere, putet.
Nec mea fert probitas in laudè adducere quenquam,
Quem non lingua boni prædicet esse bonum.
Sed quoniam in vitæ præclaris actibus is sit,
Quem meritò ad Gracchos, Luciliosq; seras;
Vel Crassos quoq; vel quos Lælia protulit arbor:
Imò, qui meritis, Cyrus ut alter, erat:
Cuius res omnes sint in virtute locatæ,
Cui lucem verè prætulit alma Fides:

A 3

Quaque

Quaque duce in portum ex rerum se vexerit undis:
Hunc ego committam laude carere mea:
Ille quidem non laudis eget, qui præpete fama
Floret in Eois, Hesperijsque plagis:
Attamen exemplis homines, ut luce, reguntur,
Ut simili vitæ se quoque more gerant.
CONDITor in sevit Deus has in pectora flammæ,
Quæ sensum ex hominum casibus esse iubent.
Has ex natura conari evellere verbis:
Humanum factis est abolere genus.
Ex illis pietas, alternaque gratia manat,
Ac hominû ad cunctos sunt quasi vincla status.
Hæ patri inferias iusserunt mittere Natum,
Natura officium spontè movente pium.
Aetas prisca Linum celebravit, & Orphea vatem:
Et clavum imperij qui tenuère viros:
Qui sparsos homines coetu rexere coacto,
Legibus & latis constituère forum.
Hinc memor **AVGVSTI** meritorû fama quotannis
Dat quosdam celebri more retenta sonos.
Nanque Dei in socij lucet vis ordine coetus,
In quo contractus, iusque iugale vigent:
Quæ fas, atque fides, censuraque congrua factis,
Exercetque suas spesque, metusque vices.
Is leges vitæ, & pietatis fœdera veræ
Esse rata, & multis fructibus aucta dedit.

Cura

Curavitque Dei resonare per atria vocem,
Coniungique una mente, fideque preces.
Fovitis impensis artes, & in arte peritos,
Quos sine fama Dei sorde repressa iacet.
Esset ut Augusto similis bonitate prioris;
Sed prior in vera cognitione Dei.
Æra scolis rapuit qui nomen habebat Iuli,
Fama Dei ut nervis concidat orba suis.
MOS ideò obtinuit, purè quòd agentibus ævum
Per verba est habitus, signa vel æris honos.
Non ut in histanzim sit inanis gloria pompæ,
Aut ut in extinctos pignus amoris eat;
Famaque per seriem virtutum æterna daretur;
Litera nam fulcit res, & obire vetat;
Sed magis ut vitæ de fluxu, ac morte docerent,
Et causis, quæ sunt crimen, & ira Dei:
Quodque per, & propter demissum ad funera Christum
A morte assertos vita, salusque manet.
Discrevère vices pecudum, atque eventa piorum,
Aque Deo totos se petière regi.
HIS causis, aliquos tenuère in funere ritus;
Turba pium in fraudem postea vertit opus.
Exequias patri celebrat pia cura Iosephi;
Fert socero, & fratri carmina mœsta David.
Omnis & ordo patrem patriæ, omnis Musa Iosiam
Prosequitur luctu, carmine, laude, sonis.

Aff.

Afficiunt manes A SÆnidore Sabæo;
Cæsaq; rex Theseus corpora lustrat aquis.
QVIS mihi nūc probro dabit hæc monūmēta parāti,
Si pietas umbris vult sua iusta dari?
Hic honor AVGVSTI meritis debetur; & vmbra
Præstita per carmen gratia, grata Deo est.
Est pars iustitiæ, quæ debita cuiq; rependit,
Pro meritis fructum voce referre pia.
Iusticia est homini, sapientiaq; insita primo;
Namque hominem similem vult Deus esse sibi.
Est hæc, est hominis sapientia, sensus in ipso
Ordinis: & sanxit quos Deus ipse gradus.
Iustitia: est conforme aliquid cum mente creantis
Quod vult, vt maneat conditus ordo Dei,
Hi, dare iura alijs: illi, parere iubentur,
Vita per alternas constet ut æqua vices.
SED gradus imperij primus, vis ampla parentum est;
Quique locum istorum publicus ordo tenet,
Regula rectorum debet status esse parentum,
Quorum personam forma regentis habet.
Cura gubernaculi, patriæ pietatis imago est;
Ac hominis forma est, officiumque Dei,
HIS igitur debetur honos ex iure parentum;
Obsequij summus scilicet ille gradus.
Tres insunt in honore gradus: reverentia mentis,
Autorem agnoscens ordinis esse Deum.

Huic

Huic cura obsequij subit; Ac edicta regentum
Qui violat, mortis fit reus antè Deum.
His porrò adijcitur; quædam indulgentia morum,
Ac onerum, quæ nos ob mala nostra premunt.
Vouite res mundi fessas: cœtusq; fouete:
Nec temerè afflicti soluite membra gregis.
Non Alcibiadis, de more hinc currite, & illinc,
Præseutémue probris exagitate statum.
Non alios alibi excutite; & secla aurea mundi
Concipite, & quicquid fert sopor, atq; merum.
ORDINE diuino colere, & parere necesse est
His, quorum genus, aut subdita turba sumus.
Hic status ex autore Deo deducitur omnis;
Lectus, grex socius, pactaq; & vrna fori.
Deq; Deo, curaq; Dei probat omine insulto
Non ex Democriti nos abiisse satum.
Sed genus, & socij cœtus, pax, vinclaq; pacis
Fas, & iura: Dei sunt sapientis opus.
Vtq; soli vbertas, quocunq; est limite, non sit,
Nî sit, nec superet salua fouente Deo:
Sic est ordo fori, & custode est sospes eodem,
Vel partes aliquas carpat in orbe furor.
Vtq; lupus per rura gregem vi dissipat omnem,
Excerptasq; aliquot de grege mandit oues:

B

Sic

Sic Furia: iunctiq; his instrumenta Tyranni:
Raptores: & qui regna furore mouent:
Et quos non cohibent à labe repagula legum:
Ordine turbato remq;, gregemq; vorant:
Vtq; aliquam partem custos à caede reseruat:
Sic quicquid superest ordinis, omne Dei est,
Et licet ad tempus turbent pia foedera vitæ:
Post tamen hos casu tollit atroce Deus,
Cecropiam inuadit sine iure Pisistratus urbem;
Fit caput imperij bellua dira Nero.
Hi, si crimen habent, vt habent; tamē inclytus ordo,
Ordo Dei, in crimen non benè tractus erit.
Nam vitia, ac ordo discernitur; ordinis autor
Est Deus; infandi turbinis, ima cohors,
NOSq; sub imperijs spectacula læua notantes,
Et quod res variè miscet, agitq; furor:
Angimur: & nobis humanæ sortis imago,
Quantaq; sit Furijs vis data: mente subit.
Moxque preces damus, vt Furialia comprimat ausa,
Et socios cœtus protegat ala Dei.
NOSCIMVS Augustum sedisse ad culmina rerum,
Non vi rectorem, sed bonitate patrem,
Proque dato Augusto ferimus per carmina grates;
Aque Deo huic similes poscimus ore dari.
Nam quod ad externum parendi attingit honorem:
Vindex pro tabula Legis vtraque stetit.

Nec

Nec tulit errores contrà fundamina spargi;
Nec sacram instituit rem sine lege Dei,
Ficta sed è sacris deiecit sedibus ora,
Publicaque officijs reddidit æra pijs:
More Theodosi, & cui dat constantia nomen,
Claudentium vanis fana dicata deis.
Crassis sueta prius seruire palatia fucis,
Alueolos verso more refinxit apum.
Nec ceu Ieroboas noua cultus semina finxit,
Imperia & mundi rex Babylonis habens;
Aut qui Sphyngis opus tulit interimentis in auras,
Vindelica monstrum quod fuit vrbe satum.
Admittenda animo sunt nulla, tenendaque nulla
Quæ se sub Fidei non ratione tenent.
Et nisi iudicio res sit discussa fideli:
Non cadere, aut pleno stare vigore potest,
Nec pia scripta, quibus pax nititur icæta vicissim
Præolata stipula mouit honore suo.
Sed quòd adhuc tuti sacra exercemus, & artes,
Nec nos, quæ Belgas vis violenta premit:
Consilio AVGVSTVS furijs his obuius iuit,
Vt sit adhuc præstò reque, fideque sua,
Scire, quod ex vsu est, ac antè euenta videre:
Naturæ est, cœli fœdus habentis, opus.
Vt pia gens aliquos habeat per regna receptus,
Propter quam seruat cætera regna Deus;

Iunxit eam ad pacem, qua stat lex ciuica vitæ,
Communiq; data est publica iure fides.
Vtq; voluntates coëant, & fœdera iungant:
Hic paci in medium seq; operamq; dedit,
Quod sine virtutum cumulo, motuq; superno
Præstari à sola non ratione potest.
Vnde Dei genus esse Deo satus arguit istos,
Inq; beatorum iura, gradumq; locat.
Quod pax ergo colit regiones, oppida, vicos;
Resq; fori, & pietas obtinet alma statum:
Præstitit AVGVSTI magnū instar, et equa voluntas,
De qua pendeat summaq;, & ima cohors.
Mens respondebat veraci consona linguæ,
Et par affectus cordis & oris erat.
Non se, non alios ficta virtute fefellit:
Sed cor voce Dei rexit imago patris.
Perq; fidem hîc habitans opera exercebat in ipso,
Per Flatum informans dictaq;, & acta sacrum:
Pareat vt sensus rationi, quæ quasi pallas
Vota animi, ac nervos per sua frena regit:
Vtq; animum à curis lusu releuaret honesto:
Lustra cane, aut iaculo sollicitabat auem.
Non tamen vt cultum, partèsue relinqueret ulla:
Sed ne langueret corpus inerte situ.
Copia librorum tamen arguit artis amorem;
Et quod res veterum noscere cura fuit.

Instar

Inſtar in his morum, atq; euenti mente notabat,
Et nil eſſe homines, & nihil eſſe diu.
Naturæ & tacitos tentabat inire reſſus,
Inq; penum variæ ſortis adegit opes.
Tum, quæ ſit ratio numeris; vmbriſq; facultas:
Quæ cœli ſignis viſ, via, forma, vices.
Et varios poſitus, habitus, cultuſq; locorum:
Et triplex mundi mente tenebat opus.
Atq; orbis ſuperæ teſtudinis inſtar habebat,
Vt veræ patriæ diſceret inde ſitum.
SED non reſ tenues, & notas omnibus artes
In theatrum magnæ ducere laudis amo.
Nam pietas alios ſibi ſacrum aſtrinxit ad vſus,
Huncq; frui rebus, quas habet ipſa dedit.
Cumq; Deum à turpi grege virtus caſta reuellat:
Duxit in illuſtri tempora caſta thoro.
Vnde genus magna Deus indole, reſq; ſecundas,
Sublimesq; gradus, robur, opesq; dedit.
Quas non ad luxum conuertit more Nabalis,
Muneris, & decoris non memor ipſe ſui:
Neruus agendarum rerum, inſtrumentaq; honoris,
Legitimiq; vſus, ac bonitatis erant.
Fouit enim in quouis genere artis, & ordine claros;
Emeritosq; piæ cum ſtipis auxit ope.
Hoſtis & ad ſubitos aditus vi munijt oras,
Molis & obiectu, præcipitiq; mora.

Porticibusque cauis decus vrbibus addidit amplis,
Mercis ut externe foedera crebra fouent.
Tum fora constituit, censores vnde vocatis
Responsa in medium partibus æqua darent.
Nec Themis aut vrbem, aut lances Astræa reflexit;
Pro iure obtinuit gratia sæpè locum.
Offensasque sibi factas, non vltus in armis
Donauit patriæ rebus, & imperio.
Nec litis cupidus consulta ferebat ad vsum,
Ut fora conseruent, relligioq; statum.
Sed cum res patriæ sic ferrent, iura probarent,
Arbiter imperij posceret: arma tulit.
Oppressoq; globo captantum culmina rerum,
Imperium exoluit vi, patriamq; metu.
Sæpe sine externo Deus exigit ordine pœnam;
Ceu Sodomæ turpes pix fuit vltæ faces:
Aut Dominum Ægypti reuoluto vortice merfit,
Cum gregis Ilacij persequeretur iter.
Sæpe fori officio, ceu te Catilina merentem
Ordo patrum, & fasces iurè dedere neci:
NVELLA sed iniusta fuit ipsi in cæde voluptas;
Nec belli causas ira, furorq; dedit.
Cædis amans Furia est; civilisq; ordinis hostis
Sæpius ob causas excitat arma leues.
Incensiq; animis vtrinq; cupidine praua
Sic fas, & morum proterit omne decus.

Sæpè



Sæpè per excursus ad prædam, & crimina cædum
In pœnam partes traxit vtrasq; Deus.
Sed quanquam nemo sit labe solutus ab omni:
Mens tamen haud lapsu saucia facta graui est.
Si caput imperij deduxit ad atria templi,
Prælatoq; suas præstitit ense vices:
Non spectator erat sacri, aut defensor inanis,
Corpore declinans numina ficta Papæ.
Quare non repulit polluto è pectore numen,
Consulta in facinus cum ratione ruens.
Nam verbum opposuit, si mentem scrupulus vrsit,
Ac aduersa malis æstibus arma tulit;
Non tantùm vt specie virtutis Scipio motus
Cum sponse alterius nil rationis habet:
Sed ceu iussa Dei voluens in mente Iosephus
Abnuit externi tangere membra thori:
Ne depulsa animo superùm sit gratia præsens,
Et Flatum afficiat mœror, & ira sacrum.
NON opus hoc ratio modò frenans aurea gestus,
Indolis & præstans vis melioris, agit:
Sed lux, notitiesùe sagax, quam corde Iosephi
Vi verbi elicuit lux, & imago Patris;
Hac vt parte Dei cernatur fixa voluntas,
Ad cuius laudem facta pudica refert.
Scipio si Princeps sit honestus: et ordine patrum
Prouidus: & felix dux, & ad arma valens:

Non



Non tamen hæc dotes sunt in Dauide minores :
Sed factò plures agmine nomen habent.
Nam Deus obtinuit Dauidis pectore sedem,
Qui iubar accendit per sua verba novum,
Omnis in hoc motus, gestusq; id respicit unum,
Præcipuè vt præstet munia grata Deo :
Seq; autore alij reddantur corde tenaci
In semel accepta cognitione Dei.
Et facti exemplis, quibus est à clade solutus,
Laude Deum extollant, crebraq; vota ferant,
His Deus illustres animas cum dotibus auget,
Vnde alij morum semina pulcra trahant,
Cursus vt Augusto datus, est virtutis imago,
Exemploq; homines ad pia facta mouet.
Quem colit hæc ætas : mirabitur illa futura ;
Felix, si meritis hunc imitetur, erit.
Nanq; opera ad Christi retulit solius honorem,
Præstitit & cultum fors sua tota Deo.
Hæc; fori curæ, quas finis debitus haurit,
Nil sunt, quam cultus præstitus antè Deum.
Nempè probât hunc esse Deû, què moribus ornant,
Sicq; Deum ex imo pectore velle coli.
Nonné Dei cultus pudor est, in mente Iosephi ?
Militia & regis cui lyra sacra fuit ?
QVARE pro meritis AVGVSTO præmia redde ;
Quod fit, si merito fers in honore genus :

Si das

Si das vota Deo pro fausto seminis ortu,
Proque tenore status, proque vigore domus,
Utque det his annos quorum consulta, fidesque
Est praestò studijs, officijsque sacris.
Nanque ita dant nervi sonitum in testudine eburna
Ut motum à digito sollicitantis habent.
Horum virtuti & pietati voce favete;
Maximus est regni, consilijque labor.
Dum servit populis AVGVSTVS & omnibus usu
Attrivit vitæ robora fessa suæ.
Nil stabile est homini, nisi constans gratia Christi
Nitimur hoc fulcro, putrida virga Papæ est.
SED post curriculum divina ex sorte peractum:
Ex opere ad requiem venit, & ora Dei.
Quâ nunc perfruitur sensu, fructuque bonorum,
Quæ sua per Christi noverat esse fide.
Nec cor abhorrebat subeunte à morte per artus;
Iustis non miserum est in statione mori.
Quòd tamen amisit tam clarum gloria pignus
Non turpè est luctus nos dare signa pij.
Nec iactura rei, quæ facta in principe tanto est,
Sarcirifacili conditione potest.
Nam pius, & clemens, fortis, moderatus, & æquus,
Imperijque oculus, flosque salubris erat.
Morte sed ærumnas omnes evasit in una,
Et quæ tot votis regna petivit, habet.

C

Nos

Nosque suo in Nato pensamus damna parentis,
Nobis pro domino quem iuuat esse patrem.
In quo persona patris, & virtute retenta
Creditur & vitam nunc retinere Pater.
Nec rem, sed speciem tantum mutasse priorem,
Et fieri, ut Phœnix alter, in ore novo.
Nomine qui Christi clarus, qui charus eidem
Patris habet solium, regis & instar avi.
Et novus imperij Romanus nervus ad hostes,
Flosque Ducū, & cœtus arbor, & umbra sacri.
Succus item studijs; & cuius ab ubere censu
Incrementa sibi fas, pietasque trahunt.
Leges præsidium sunt ipsi fortius armis:
Artes, & pietas pulchrius ære decus.
Non vi, sed populus regit æquo iure volentes:
Templa colit prius pulsa furore Fides.
Et sunt qui simulant defuncti patris amorem,
Ac odio Natum non simulanter habent;
Vulgus præstigijs implent, & motibus urbes:
Et spargunt stipulas, & sine teste sonos:
Discessisse ferunt à sese, & more priorum,
Atque novum sacris imposuisse modum,
Quid mirum est ranas maledicere, stridere vespas,
Calce ferire Asinos, dente nocere canes?
At sapiens sanguis pia sacra hoc acrius urget,
Iurgiaque in ventos yana volare iubet.

Execra

Execratur item vanos; oditque profanos:
Qui sacra extenuant, nec reverenter habent.
Et Sophiæ hos ipsos cultores, membra Philippi
Ob vim sinceræ religionis alit,
Nuper & accitos operarum ad fœdera Vates
Præcepta ad pubem vult sacra ferre rudem.
Abstulit hos error; convince: sed ordine iustor
Non pariter partes iudicis actor habet:
Audiat: & causam disceptet plurimus ordo:
Libera religio est, libera iura petit,
SED Christi nomen ne serviat æstibus ullis:
Fulmina de sacra sede crepare vetat.
Sic finem impositum putat iri pestibus ævi:
Quæ spes si faller: mens tamen æqua fuit.
Nam nihil in rebus vertit; sed idonia quædam
Agmina discentum præcipit esse gregi
Nanque aliqui excessere loco, aut sunt lumine fûcti
Sed quid ad hunc, Græci quod potuere mori?
O decus Europæ princeps quo sospite nunquam
Imperij fractas esse fatebor opes:
Hoc tu propositum tamen urge, atque inijce frenos,
Ne linguæ serpat latius ista lues,
Quæ prostrata iacet, per te censura resurget,
Ne cuivis liceat lædere voce bonos.
Et bene compositam ne solvant iurgia pacem:
Vinciat hanc legis cura severa tuæ.

Vt facere hoc possis: tibi dat sapientia nervos,
Omniaque amissi iura parentis habes.
Morte sua invasit dolor arces, oppida, & agros;
Solem de caelo quod cecidisse putent.
Vt desiderium patris, praesentia Nati
Perficere in patrio Natus honore cupit.
Quo, quia nil maius, quod voce precemur, habemus;
Hic precis, & vocis finis habendus erit,
Sed prius huic vitam, requiemque optabo parenti;
O tege **CHRISTIADEN** Dux pie **CHRISTE**
STE Ducem.
Tu, cui parta quies **AUGUSTE**, & sidera, salve;
Vmbraque natali condita sede, vale.
Vertibi perpetuum Dux inclyte spiret in urna:
O iterum salve Dux, iterumque vale.
Salve iustitiae tutor, custosque quietis,
Et fidei assertor qui colis astra, vale.
Plura locuturo, non res, sed tempora desunt:
Laus est, si possis plurima, pauca loqui.

D I X I

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ
VVITEBERGENSIS FRANCIS-
cus Banfi Lofonci, Comes Dobocensis,
Vngarus &c.

Vetus est consuetudo, non tantum
in Dei populo semper religiosè obser-
vata, veram etiam omnium honestarum
gentium consensu firmata et compro-
bata, ut præstantissimorum hominum,
deq; Repub. præclare meritorum me-
moriam, et res ab eis sapienter et fortiter gesta, ad omnem po-
steritatem extarent. Ac ut memoria durabilior expressi-
or & evidentior esset, in honorem illorum solemnes ludii,
in conventu populi, & sacris celebratibus ac panegyris
instituta sunt, in quibus benefactorum memoria subinde
decantaretur, & repeteretur, idq; iustissimis de causis.
Enimvero meretur perpetuitatem et celebritatem virtu-
tis decus, quod maxime illustratur magnis in Remp. me-
ritis. Cumq; nullum theatrum virtuti conscientia ma-
ius sit, ut verissimè à Cicerone dictum est, immortalitate
& perenni nominis factorumq; celebratione digni sunt,
qui rectissimæ voluntatis sibi conscij in gubernatione sua,
ad Deum laudem bonæ conscientie et honorificam famam
ad omnem posteritatis memoriam sibi pepererunt. Cum
primis verò salutare reges & principes in Ecclesia, qui-
bus

bus eterni Dei gloria, veræq; doctrinae propagatio & cu-
stodia & pulcherrimarum literarum virtutumque studia
atq; adeo saluberrima maximeq; expetibilia pacis ornamen-
ta, summa cura fuerunt, optimo iure gloriosam nominis
sui laudem & commendationem quam nulla abolitura sit
etas, promerentur. Nulla autem statua quamvis firma
& solida, nullaq; monumenta quatumvis operosa et sum-
ptuosa, tam ab interitu & oblivione vindicant maiorum
res memorabiles, praeclaras et illustres, atq; literarum mo-
numenta, quibus verè teste Macrobio memoria fulci-
tur aeternitas, et hominum conservatur immortalitas. Ideo
Deus in populo veteris foederis accuratè & studiosè con-
signari, literisq; committi voluit res domi militiaeq; gestas,
ut Dei praesentia & bonitas in gubernatione salutari, pra-
mijsq; rectè factorum, & eiusdem iustum iudicium in scele-
rum penis conspiceretur. Quod igitur homines prudentes
semper senserunt, quod in natura ipsa relucet, quod sana
rectaq; ratio iudicat & definit, quod pietas ipsa flagitat et
acceptorum beneficiorum commemoratio & recordatio po-
stulat, deniq; quod Dei voce expresso mandato promulga-
vit, ut in illustribus praemiorum poenarumq; exemplis, quae
omnibus aetatibus acciderunt, Dei praesentia, iusticia sapientia
et bonitas perpetuò extaret: nos quoq; sanctè inviolatèq; ob-
servare iustissimum est. Cum itaq; iam denno volventi-
bus annis vice tertia recurrat luctuosissima illa dies, qua ex
his terris exemptus in caelestem patriam & sempiternam
cum

cum Deo, sanctis angelis, electisque hominibus consuetudi-
nem translatus est, praeclarissimus, omni pietatis virtu-
tumque heroicarum laude cumulatus Princeps AV-
GVSTVS Imp. Rom semper vir verè augustissimus,
Germaniae suo tempore singulare decus, et harum terrarum
praesidium firmissimum, pacis studiosissimus *ΕΙΛΕΘ' ΕΥΧΟΙΣ ΟΥΔΕΙΟΥ*
iuxta Poëtam, eò maiorem *Ε* accerbio- rem dolorem in ani-
mis nostris excitari agnoscimus, quò iniquiore tempore hoc
periculosissimo rerum omnium statu, non modo his terris,
sed etiam patriae nostrae communi, imò orbi Christiano uni-
verso, tantum firmamentum *Ε* ornamentum ereptum esse
experimur. Ut autem tanti Principis *Ε* herois, iam caelesti
luce, gloria, *Ε* leticia perfruētis, illustria *Ε* maxima me-
rita in Ecclesiam, Rempublicam et rem literariam univer-
sam, potissimum etiam in hanc Academiam, quorum ma-
gnitudo perennem nominis et famae praedicationem rectissi-
me postulat, constitutum est, auctoritate et pietatissimo iux-
ta gravissimoque iudicio eximij patris laudatissimi filij here-
dis, tam amplissimarum regionum, quam maximarum
virtutum paternarum, Principis Electoris CHRISTI-
ANI, Ducis Saxoniae *Ε* c. Domini nostri clementissimi,
Ε harum Ecclesiarum *Ε* scholarum munificentissimi nu-
trici, ut quotannis tam praeclari patris laudes, ac res feliciter
et gloriose ab eo gesta, in hac schola recitetur in publico Acad.
conventu, *Ε* quidem à clarissimo viro, *Ε* vatum hoc
tempore citra controversiam facile Coryphæo, domino Jo-
hanne.

Thanne Maiore S. Theologia Doctore & Professore quon-
dam in hac Academia celeberrimo, cuius quanta in hoc gene-
re sit excellentia, quanta ubertas & divitis vena affuen-
tia, & plus quam Symphoniaca harmonia & dulcedo, ex-
documentis compluribus perspicuum est, et monumenta ei-
us testantur et testabuntur ad omnē posteritatem. Ut enim
Alexander ille Magnus non nisi à præstantibus artifi-
bus pingendo, fingendo, sculpendoq; exprimi voluit. Sic tam
Augusti tāq; præstantis patris generosissima soboles, non nisi
ab eccellente Poëta laudes eius merita & beneficia celebrari
hic hætenus voluit. Etsi autē in XI diem huius Mensis
luctuosissimus obitus Augustissimi Principis &c. incidit,
habita tamen ratione tēporis, solennis illa recitatio in XIII.
diem est reiecta, ad quam, ut Scholastici omnes nostram iu-
risdictionem agnoscentes frequentes hora IX in auditorio
vovo conveniant, & de rebus memorabilibus numerosissi-
mum carmen attentē audiant, sedulo eos cohortamur, & in
eo congressu Illustrissimi Principis Electoris nostri, re & no-
mine CHRISTIANI, eiusq; Celsitudinis opta-
tissimam prolem, vitam, salutem & gubernas-
tionem filio Dei vnicē commendent.

P. P. V. Idus Feb. Anno

1589.

Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.


1077





XLII.

47



AREN TATIO
L V S T R I S =
O A C P I E N T I S
P R I N C I P I A C D O
D u c i A u g u s t o , E l e c t o r i
S a x o n i æ & c .

T e r t i u m f a c t a
S T I T V T I O N E
E M A N D A T O J L
a c p i e n t i s s i m i P r i n c i p i s a c D o m i n i
C H R I S T I A N I E l e c t o r i s ,
F i l i j ,
s u a m n a v a n t e s u b i e c t i s s i m a m .

N N E M A I O R E D .
V I T E B E R G Æ ,
o i s Z a c h a r i æ C r a t o n i s .

cr.

